

43. *Inst.* At S. CYPRIANUS epist. ad clerum et plebes in Hispania de Basilide et Martiale propter libellorum idololatriam episcopatu dejectis scribens, ait hoc esse juris divini, ut populus eligat; ergo. *Prob. Ant.* Ait enim cit. loc. *Propter quod plebs obsequens præceptis Dominicis et Deum metuens a peccatore præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere, quando ipsa maxime habeat potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod et ipsum videmus de divina auctoritate descendere, ut sacerdos plebe præsentate sub omnium oculis deligatur, et dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur: Sicut in Numeris Dominus Moysi præcipit dicens: apprehende Aaron fratrem tuum, et Eleazarum filium ejus, et impones eos in montem coram omni Synagoga, et exue Aaron stolam ejus, et indue Eleazarum filium ejus, etc.* Ergo.

R. D. *Ant.* Tribuit populo maxime potestatem eligendi dignos per modum iudicis N. per modum testis, ferendo testimonium, ut ipse Cyprianus se explicat C. Hoc solum ex auctoritate divina descendere ait Cyprianus, ut quilibet ex populo ordinandi Episcopi, si qua noverit crimina forte occulta, quæ illum eo munere indignum redderent, detegere teneatur, et quoad hoc plebem maxime habere potestatem eligendi dignos, prædicando illorum merita, vel indignos recusandi, detegendo eorum crimina, ita ut, si ea sciret, nec detegeret, merito illi imputaretur indigni ad episcopatum electio. Minime vero vult Cyprianus, esse præcepti divini, ut populus, præter testimonium vitæ, etiam, more iudicum vel episcoporum, ferat suffragium. Ratio responsionis ex ipso Cypriano sumitur; nam 1º. ad probandum, quod dixerat, affert exemplum Eleazari; at hic certe non Synagoga vel populi suffragio, sed immediate divino imperio, Synagoga solum præsentate, constitutus est Pontifex. 2º. Quia proposito Eleazari exemplo, subdit: *Coram omni Synagoga jubet Deus constitui sacerdotem, id est, instruit, et ostendit, ordinationes sacerdotales, non nisi sub populi assistentis conscientia fieri debere, ut plebe præsentate vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, et sit ordinatio justa et legitima, etc.* Ac inferius: *Propter quod diligenter de divina traditione et apostolica observatione observandum est... ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant, et Episcopus deligatur, plebe præsentate, quæ singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit.* Refert quidem etiam post Eleazari exemplum, electionem Mathiæ et septem Diaconorum, sed ad quæ jam responsum est, et præterquam quod Mathiæ electio principaliter sit peracta sortibus, hæc exempla tantum sunt, quæ nondum jus divinum constituunt, sed præcepta divina sunt, e quibus jus divinum nascitur.

44. *Nec dicant* porro: In Romana vero Ecclesia hoc ipsum examen et populi testimonium hodie non observatur amplius. Nam, quidquid sit de aliis regnis, in quibus etsi reges Episcopos nominent, non tamen sine inquisitione in dignitatem ac merita promovendi fit, in Germania, postquam jus eligendi ad solum clerum Cathedralem devenit, simul hic obligatione gravi tenetur, eligere eum, quem cæteris digniorem iudicat, atque hoc ipso in vitam moresque eligendorum inquirere, quo modo nomine diocesis digniorem seligit, et plebis supplet testimonium; idque melius; cum Canonici ex

magis familiari et quotidiana conversatione nosse possint dignitatem promovendi, quam dispersa plebs. Quod vero ministros inferiores attinet, præterquam quod ab ordinandis testimonia exigantur Academiæ de doctrina et moribus, præterea subire examen debent; ac porro ante ordinationem ipsam Archidiaconus ab Episcopo de ordinandis interrogatus: *Scis, illos dignos esse?* palam in Ecclesia, ac totius populi nomine fert testimonium.

Unde non premit Catholicos objectio; recte tamen Protestantes, qui plerique, quod *juris divini* tantopere alias prædicabant, ut populus eligeret, nunc penitus videntur contemnere; cum jus eligendi ferme singuli principibus asserant, alii quidem sic, ut Majestati intrinsecum, vel partem juris territorialis, qui putatitios Episcopos sine ullo plebis suffragio, neque semper cleri Cathedralis consensu, sine examine præficiunt; imò subin jure successionis hæreditario. Ita in episcopatu Osnabrugensi alternative ex Hannoveranis quis principibus succedit, juxta Instr. pacis Osnabrug. art. 13. In episcopatu Lubecensi ex pacto inito anno 1647. sex ordine Episcopi, aut Coadjutores eligendi sunt ex Gottorpiensi domo, de quibus vide Mascovii Princip. jur. publ. imper. Romano-Germanici L. 4. cap. 4. Hornii Jus publ. Prud. cap. 38. At qui hæc conveniunt, si *plebs jure divino* ipsa ferre debet suffragium? aut qua ratione Protestantes redarguere audent Catholicos?

CAPUT II.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

ARTICULUS I.

ORDINEM SACRAMENTUM ESSE DEMONSTRATUR.

45. *Nota I.* Appellatio ordinis nunc pressius accipitur pro certo gradu hominum, qui ad res sacras ac divinas destinati sunt. Ordo hic bifariam considerari potest, vel *active*, ut scholæ loquuntur, vel *passive*. Priori modo ipsamet est *ordinatio*, seu ritus, quo ministri consecrantur, eisque potestas exercendi actiones sacras, ad sacrificium et altaris ministerium spectantes tribuitur; posteriori modo est ipsa potestas, quæ confertur; et de hac sermonem hic non instituimus, sed de illa; quæ quidem communi definitione circumscribitur, quod sit *ritus sensibilis, quo traditur potestas consecrandi ac ministrandi corpus et sanguinem Christi, nec non sacerdotio ex officio inseriendi.*

Nota II. Lutherus L. de captiv. Babyl. cap. de Ordine, Illyricus cap. 11. Confess. Antuerpiensis, Kemnitiuss 2. part. Exam. sacram. ordinationem e numero sacramentorum expungunt. Philippus Melanchthon in locis communibus an. 1523. Argentorati procusis duo duntaxat sacramenta statuerat: at in posterioribus ejusdem operis editionibus, nec non in Apologia art. 3.

Confess. August. ordinem inter vera sacramenta recenset, propterea quod ritum, mandatum ac promissionem habeat. Calvinus, tametsi plerisque in locis duo tantum asserat sacramenta : attamen L. 4. Institut. c. 14. §. 20. et c. 19. §. 28. ordinationem verum esse sacramentum ingenue fatetur, et excusans, quod hoc sacramentum alibi non commemoraverit, ait, ideo factum, quod duo tantum baptismus et cæna, omnibus sint fidelibus communia. Non inutile iudicavimus, hanc Novatorum inter se dissensionem, variationem, et erumpentem ex invitis pectoribus veritatem adnotare. Porro duplex quæstio institui potest : prior generalis, utrum ordo sit sacramentum? posterior specialis, quinam ordines sacramenta sint? De priore nunc

46. *Dico.* Ordo est vere ac proprie novæ Legis sacramentum.

Prob. I. Tria sunt, quæ ad sacramentum constituendum, hæreticorum consensu, sufficiunt, symbolum externum, promissio gratiæ, et divinum mandatum, sive institutio. Hæc autem in sacra ordinatione reperiri manifestum est ex Scripturis. Nam symbolum externum, manuum scilicet impositio, legitur Act. 14. v. 22. *cum* (Paulus et Barnabas) *constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros*, ubi græca lectio habet *χειροτονήσαντες*, h. e. *impositione manuum ordinassent*. Haud alio ritu ordinatus est Timotheus, quem Paulus 1. ad Tim. 4. v. 14. ait, donatum fuisse gratia *per impositionem manuum presbyterii*. Et epist. 2. c. 1. v. 6. *per impositionem manuum* ejusdem Pauli. De externo itaque ritu hac in re nefas est dubitare. Deinde eadem ceremonia collatam fuisse gratiam, idem testatur Apostolus commonefaciens Timotheum priori loco : *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii*; in altero autem : *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Denique huic ritui non deesse divinam institutionem compertum fit tum ex hujusmodi gratiæ promissione illi ceremoniæ annexa; neque enim homines unquam sensibilibus rebus vim effectricem gratiæ alligarunt : tum ex plurimis Scripturæ locis, in quibus Dominus Apostolis tradidit potestatem remittendi peccata, conficiendi Eucharistiam, ac sacra mysteria dispensandi.

Prob. II. Traditione Patrum. Ex Græcis GREGORIUS NYSSENUS orat. in Baptismum Christi (opp. t. 2. p. 802. B.) ait vi verborum Christi fieri Sacerdotem *augustum et honorandum, novitate benedictionis a communitate vulgi separatum, et invisibili quadam vi et inaspectabili gratia invisibilem animum in melius transformatum gerere*. Nysseno consentiunt Chrysostomus hom. 1. in 2. ad Tim., Theodoretus in illud 1. ad Tim. 3. *Manus cito nemini imposueris*, Theophylactus et Oecumenius in 2. ad Tim. 1. Non minus diserte loquuntur Patres Latini. S. AMBROSIIUS L. de dignitate Sacerdotali c. 3. (opp. t. 2. in app. p. 363. D.) interrogat : *Quis dat, frater, Episcopalem gratiam, Deus, an homo? respondes : sine dubio Deus; sed per hominem dat Deus*. Et rursus : *homo imponit manus, Deus largitur gratiam*. S. AUGUSTINUS, nomen etiam Novatoribus venerandum, L. 2. contr. epist. Parmenian. cap. 13. Donatistas exagitans sic scribit : *Ipsi (Donatistæ) explicent, quomodo sacramentum baptizati non possit amitti, et sacramentum ordinati possit amitti. Si enim utrumque sacramentum est, quod nemo dubitat; cur illud non amittitur, et illud amittitur? neutri sacramento injuria faciendâ est.*

Idem asserunt S. HIERONYMUS in Dial. contra Lucif. (opp. t. 2. p. 183.) INNOCENTIUS I. in epist. 18. ad Alexandrum Antiochiæ Episcopum (Labb. t. 2. p. 1269. E.), LEO I. aliique Patres ac Pontifices apud Bellarm. Mentitur itaque Lutherus, cum loc. sup. cit. ait, e veteribus Patribus non nisi unum Dionysium nobis suffragari.

Prob. III. Ecclesiæ definitione. Multa enim concilia ordinationes simoniacas ut illicitas damnarunt, quod in his pretio darentur sacramenta, et venalia fierent instrumenta gratiarum. Ita Synodus Chalcedonensis Act. 15. can. 2. (Labb. t. 4. p. 772. E.) gradu dejici jubet Episcopos, qui *propter pecunias ordinationem fecerint, et non venalem gratiam in venditionem deduce- rint*, quod et factum in Bracarensi II. an. 572. can. 3. (Labb. t. 5. p. 897. B.) Synodus quoque Florentina in Decreto pro Armenis ordinem sacramentis annumerat, idque confirmavit Concilium Tridentinum Sess. 23. can. 3. *Si quis dixerit, ordinem sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino institutum... anathema sit.*

47. *Obj. I.* Impositio manuum, de qua Paulus in laudatis testimoniis, erat ceremonia quædam communis et vaga, quæ bonæ precepcionis causa adhibebatur infirmis æque ac sanis, uti fecit Christus parvulis, et Apostoli ægris, atque olim etiam in ordinatione Diaconissarum usurpabatur; ergo inepta est ad peculiare sacramentum constituendum.

R. D. *Ant.* Impositio manuum *materialiter*, ut aiunt, spectata est ceremonia communis et vaga C. accepta *formaliter*, prout est ad diversum effectum significandum et producendum instituta N. *Ant. et Conseq.* Argumento hoc aliud non evincitur, nisi quod non omnis impositio manuum fuerit sacramentum, quod de hac ceremonia curandis ægrotis, benedicendis parvulis adhibita ultro concedimus. At illa, quæ in ministrorum sacra inauguratione fiebat, erat verum ordinis sacramentum; nam ei annexa est gratia, usitata fuit ritu perpetuo, et satis secernitur a bona preceptione, ut vel ex eo perspicuum est, quod ait Apostolus 1. ad Tim. 3. *manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*. Ubi sola præcox ordinatio prohibetur, minime vero bona preceptio; neque enim qui pro alio, quantumvis indigno, precatur, communicat peccatis alienis.

48. *Inst. 1.* Nomen chirotonia *χειροτονία*, quod in Scriptura legitur, significat tantum manuum extensionem, qua olim populus magistratum civilem, et Clerici Episcopum, ut constat ex 4. canone Nicæno et 19. Antiocheno, deligebant, elata in altum manu suffragium ferendo; ergo inde non probatur sacramentum ordinis.

R. N. *Ant.* Nam juxta Scripturas et Ecclesiæ usum, manum extendere seu attollere, oportet intelligi cum addito, nempe super capita ordinandorum : Apostolus siquidem 1. ad Tim. 4. v. 14. et epist. 2. c. 1. v. 6. phrasi *ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν*, *impositionis manuum* utitur, et Tertullianus L. de Resurrectione cap. 8. extensionem manus, qua sacros ordines designat, *adumbrationem* appellat. Græci vero, tametsi *χειροτονία* nomen interdum ad significandam Episcoporum electionem adhibeant; frequentius tamen illud usurpant pro sacramenti ritu, nec ordinant attollendo manum suffra-

gii ferendi gratia, sed super capita ordinandorum, ut constat ex Chrysost. hom. 10. in 1. ad Tim.

49. *Inst. 2.* Clerici inaugurantur ab Episcopis; at illa chirotonia, de qua Apostolus 1. ad Tim. 4., peracta fuit a presbyteris; ait enim Paulus: *per impositionem manuum presbyterii*; ergo ex impositione manuum facta Timotheo non inferitur sacramentum ordinis.

R. *Presbyterii* nomine hic intelligi Episcopos, non presbyteros: primum quia CHRYSOST. hom. 13. exponens citata Pauli verba inquit: *non de presbyteris hæc ait, sed de Episcopis; non enim presbyteri Episcopum ordinabant.* Deinde quia Paulus in altera epist. ait: *per impositionem manuum mearum.* Sed de hoc infra iterum dicemus.

50. *Inst. 3.* Nullo Scripturæ loco legitur, Christum instituisse manuum impositionem, aut ea usum fuisse, sive in ultima cæna, quando constituit Apostolos sacerdotes, sive cum insufflando dedit eis potestatem remittendi peccata; ergo, etc.

R. *N. Cons.* Christus enim citra sacramentalem actionem gratiam imperiri poterat, utpote præditus potestate, ut vocant, excellentiæ. At homines illa virtute carentes id peragere debent mediis et instrumentis a Christo institutis. Cæterum quod nonnulli ex Gregorio Nysseno referunt, nempe Gregorium Thaumaturgum tridui itinere distantem a Phaedimo Amasææ Episcopum in Neocæsareensem Antistitem fuisse ordinatum, non est ad rem. Phaedimus enim hortatu et precibus Gregorium detrectantem movit, ut episcopatum admitteret; *observatis tamen atque peractis, quæ fieri solent, legitimis sive solemnibus,* ut inquit GREGORIUS Nyss. orat. in Gregor. Neocæs. (opp. t. 2. p. 977. A.) Unde falsum est, solo voluntatis imperio creatos aliquando Episcopos fuisse.

51. *Obj. II.* Gratia sacramentis promissa est gratia sanctificans, seu *gratum faciens*, non *gratis data*; sed gratia, de qua citatis locis commemorat Paulus, est gratia gratis data; nam gratia ibi collata non *χάρις* dicitur, sed *χάρισμα*, quo nomine 1. ad Cor. 12. designantur, gratia sanitatum, discretio spirituum, aliaque dona, quæ eo loci *διαρέσεις χαρισμάτων divisiones gratiarum* dicuntur. Accedit, quod Apostolus affirmet gratiam illam datam esse per *prophetiam*, h. e. ad donum prophetiæ. Unde Hieronymus in cap. 4. primæ ad Tim. gratiam hanc explicat de dono vel interpretandi Scripturas, vel futura prædicendi; Chrysostomus vero hom. 13. in eundem locum, de auctoritate alios docendi.

R. *D. min.* Gratia ab Apostolo commemorata erat sola gratia gratis data *N.* conjuncta cum gratia sanctificante *C. min.* Ratio distinctionis ex ipso contextu petitur, cum Apostolus 2. ad Tim. 1. e vestigio subjungat: *Non dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis,* quæ sane gratiæ sanctificantis signa sunt ac proprietates. Nec obstat, quod Apostolus utatur vocabulo *χάρισμα*, non *χάρις*; utriusque enim eadem vis est apud Græcos; et Paulus ipse ad Rom. 5. v. 13. gratiam justificationis aperte vocat *χάρισμα*, sed non ut delictum, ita et donum, *ὄρω καὶ τὸ χάρισμα.* Imo 1. ad Cor. cap. 12. variis gratiarum generibus enumeratis, inquit: *emulamini autem*

charismata meliora. Quis vero credat Apostolum hortari nos ad æmulationem *virtutum et signorum*, et non potius sanctitatis et charitatis, qua seclusa gratiæ gratis datæ non sine argumento superbiæ postularentur.

Non minus ineptum est argumentum, quod Novatores petunt ex illis verbis, *per prophetiam*: hæc etenim nequaquam significant donum vaticinandi Timotheo tunc collatum, sed eum peculiari Spiritus sancti jussione aut revelatione fuisse inauguratum Episcopum, quod manifeste ostendit B. Paulus c. 1. v. 18. ita scribens: *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam.* Atque huic interpretationi ipse Calvinus comment. in dict. loc. subscribit. Quamquam si legeretur etiam *ad prophetiam*, nihil nos urgeret. Fateamur enim, primis illis temporibus ad fidei primordia dilatanda ac commendanda una cum gratia sanctificante collatas fuisse gratias, quas gratis datas vocamus.

Quapropter de his etiam ceu notioribus et insignioribus donis Patres supra laudati meminerunt, quin tamen hi, aut sacræ paginæ excludant gratiam sanctificantem. Nam S. CHRYSOSTOMUS hom. 1. in 2. ad Tim. explicans illa verba (opp. t. 11. p. 661. C.): *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei,* etc. inquit: *Hoc est, gratiam Spiritus, quam accepisti ad Ecclesiæ institutionem, et ad omne religionis obsequium; quippe in nobis est hanc vel extinguere vel excitare.* Postea vero demonstrat gratiam, quæ extinguitur, esse gratiam adoptionis, et charitatis, qua clamamus: *Abba Pater.* Videantur ulterius, quæ in Tract. præcedente de Eucharistiæ consecrandæ ministro dicta sunt.

ARTICULUS II.

DE ORDINUM ECCLESIASTICORUM NUMERO PERTRACTATUR.

52. *Nota.* Duplex hic movetur quæstio, 1º. an admittendæ sint variæ ordinum species, quas Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 2. enumerat. Rejiciunt enim eas Novatores, quos inter Calvinus cæteris impudentior L. 4. Instit. c. 19. minores ordines vocat *sacramentula*, ait ex turba illa minorum pullulasse subdiaconatum, nec usquam alibi de septem ordinibus, quam apud *ineptos istos rabulas Sorbonistas et Canonistas legi.*

2º. Disceptatur, an Græci eundem nobiscum ordinum numerum admittant. Recentiorum enim complures asserunt quatuor duntaxat a Græcis ordines numerari ac conferri, scilicet *Presbyteri, Diaconi, Hypodiaconi et Lectoris*, quinque autem, si ordinibus *Episcopatum* accenseas. Ita Morinus de sacr. ord. part. 3. Exercit. 1. c. 2. Martene L. 1. de Antiq. ritibus. c. 8. art. 1. Natalis Alex. de Ord. art. 4. c. 1. Tournely de sacram. Ord. q. 6. Witassius et alii.

53. *Dico I.* Septem ab initio ad hæc usque tempora apud Latinos obtinuerunt ordines, nempe Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, Ostiarii.

Prob. I. Ex summis Pontificibus. CORNELIUS Papa seculo tertio in epistola ad Fabium Antiochenum (apud Eusebium L. 6. Hist. c. 43.) testatur, v. p. 2.